

Nf. 24.



Ca. 4078

REDDENDA OTII RATIO

an.



Si cuiquam fuerit, publicis est inuentus magistris:
 si non alias, & aliis; nunc tamen, & talibus,
 quales præfens ILLVSTRIS SCHOLÆ GOTHANÆ status
 suos iubet esse magistros,
 in concursu, & frequentia exterorum docendi munere fungentes.
 Nec huius vacationem feræ concedunt cereales,
 solennium curiis, foro, choroque otiorum tempora.
 Boni, & cordati officiorum scholasticorum ratiocinatores si esse velimus,
 saltem primi ordinis alumnos otiosi & ferari non patiemur.
 Rusticari cum suis, & suspenso tantisper mentis cultu
 officia obire familiaria,
 dum messis est, & incerta cœli temperies festinatas poscit operas,
 non possunt exteri, quibus procul est rus patrium:
 nec volunt ciues omnes,
 professioni litterarum dedecus rati rusticationem.
 Quod si igitur a litterario cessare opere velimus per intervallum feriatum,
 maleferiatos habituri effemus alumnos.
 Alii Epicureorum deo similes, si cum Tullius de deorum natura scribens recte
 expressit,
 cessatione torpebunt.
 Ita longæ, & laboriosæ culturæ vestigia obruentur,
 operæque magistræ fructus si non extinguentur, tardabuntur tamen,
 ut, quoties a feriis redeunt discentes, toties subigenda sit rudis moles, & indigesta.
 Alios peregrinationes, quas ægre, & non nisi ob causas graues concedunt statuta,
 tam auferent a scholastica morum frugalitate, quam laborum assiduitate,
 præsertim inuitatos in campum liberiolem
 a desultoriæ leuitatis, libidinisque impuræ mancipiis,
 quibus post desertum ante ingenii & studiorum maturitatem curriculum scholasticum
 id potissimum curæ est, ne soli pereant;
 atque ideo plures quarunt amentis socios, nec desistunt euocare scholasticos,
 quotquot præ malitia nolunt, & præ vecordia non possunt
 a nebulonum sibi cauere insidiis.
 Alii, ne nihil agere videantur, nugas agent,
 & sibi relictis sine duce legitimo rectis studiis contraria destinabunt:
 ac, dum nunquam deest errori lenocinium, vbi maxime errant, sapere sibi vide-
 buntur;
 certe fastidiosos ad amaras solidæ sapientiæ radices,
 quas publice constituta offert disciplina,
 recipient magistri quamcunque ob causam feriatos alumnos.

Atque

Atque hi. excusate se peccasse, credent, data peccandi facultate a magistro.
Quibus corruptelis, & rei scholasticæ offensionis occurrere
sui muneris arbitrati GOTHANI LVDIMAGISTRI
dudum gregis sui ferias, & solennia otia negotiis interpolant,
ac priuatim non minus, quam publice scholas aperiunt,
vt ciuibus æque, ac exteris desit occasio, vel excusatio saltem otiandi, aut male agendi.
Publice quæ superioribus classium auditoribus præleguntur, Phædri fabulæ
tempestinum otium dum oblectant, profunt:
atque ea ratione, qua tractantur, quotidiana, & commoda materia sunt
exercitationis ad solidam, & accuratam Latini sermonis facultatem comparandam
tam aptæ, quam vulgo neglectæ,
carminis nempe Latini moliendi, variandi, & tentandi plures eius modos, & genera.
Priuatim politioris litteraturæ, vt & Hebraicæ, Syriacæque per vices inculcandæ
rationem habuit

CLASSIS SELECTÆ PROFESSOR, ET COLLEGA DESIDERATISSIMVS,
CLARISSIMVS REICHARDVS.

Meæ priuatæ scholæ patuerunt, quotquot feriatas publice diei horas
litteratio opere, & vtili negotio, quam otio, transmittere maluerunt,
ciuibus, exteris, domesticis, aduenis.

Mane sub horam sextam, ante publicas operas, post religiosam supplicationem
Ciceronis de officiis liber I. ita tractatus est, & ad vsum eloquentiæ accommodatus,
vt explanata dictio, & excussæ sententiæ in locos, vnde repeti ad vsum possint,
digerentur;

& proponerentur ad D. Ambrosii exemplum Christianæ pietatis officia exprimenda
non seruatis verbis quidem, & sententiis auctoris omnibus;
sed dictionis modo, & ordine,

ad diurni laboris pensa, carmine Latino per vices varianda.

Post prandium ab hora prima ad tertiam viguerunt disputandi exercitatio,
certamen poeticum, analysis philosophica, comparatio historicorum Latinorum:
ex quibus ipsis certi tractus exercendæ facultatis Latine scribendi extemporales
materia fuerunt:

nec non acroamata physica.

Non desuerunt inter discipulos domesticos
ætate, & doctrinæ progressibus prouectiores,

qui consilii nostri, & feriarum cerealium
omniumque diurnarum horarum rite, & cum fructu transigendarum
esse voluerunt

administri, & comites, ac minus prouectis commilitonibus duces.

Iesuitarum instituta omnia me non probare,

loquitur certamen in Guntherianæ Latinitatis restitutæ limine descriptum,

in quod me coniecerat certiorum studiorum amor,
& pietas in beatos manes *SERENISSIMI PATRIS PATRIAE, FRIDERICI,*
a cuius ingenio profectum emblema ære expressum ab illorum hominum censura
iniquiore erat vindicandum :

sed eum tamen in docendo morem imitatione dignum iudico,
quo docendi, discendique intervalla non longe seiuncta esse volunt :
quo supremarum classium auditores infimarum iubent esse doctores.
Hunc morem imitatio ex meis alumnis adfuit, qui Quidii *TRISTIA* explanaret,
& imitanda proponeret :

fuit, qui Cornelii Nepotis vitas excellentium virorum ;
alius, qui Iustini historiarum epitomen enarraret, & illustraret.
Nec defuit, qui herbarum, & stirpium notitiam traderet,
quotquot reperiuntur in suburbanis arvis, pratis, hortis, saltibus.
Sanctiore litteratura tractanda non dies solum dominici toti transmissi ;
sed omnium operarum initia more solito dedicata.

Quæ ad elegantiorum doctrinam pertinent,
publice actorum, locorum, & illustrium familiarum recognitio
privato, vt alias, otio commendata, & conuiualium sermonum materia fuit.

A liberalibus his per cerealia oria tractatis negotiis
prompti & alacres ad nouum operarum publicarum cursum accedunt
alumni notæ melioris.

Quas dum declamando auspicabuntur duo *CLASSIS SELECTÆ* alumni di-
mittendi :

ERNESTVS FRIDERICVS GOTTER, MEZELENSIS,
de martyrijs gentilium :

&
IO. MICHAEL BIRCKEL, SCHOENAVIENSIS,
de poeseos, & musica artis pretio :

peroraturi,
vt frequentes adsint hora VII. ante meridiem,

ILLVSTRIS GYMNASII GOTHANI
PATRONOS, & FAVTORES,

qua par est, obseruantia rogat

RECTOR

GOTHFREDVS VOCKERODT.

P. P. *GOTHÆ* CID 13 CCXV. SEPT. XV.

LITTERIS REYHERIANIS.

Ja 1586

ULB Halle

3

001 508 687




St

VD 78

VD 78





38

078

TIO

an.

REDDE



Farbkarte #13

B.I.G.

Blue
Cyan
Green
Yellow
Red
Magenta
White
3/Color
Black

Centimetres

Inches

1 2 3 4 5 6 7 8 9 10 11 12 13 14 15 16 17 18 19

